

CCXXXIII.

Anno 1708. die 26. Novembris. Viennae.

Josephus I. Rex a Bano constitutum Locumtenentem Banalem in hac dignitate confirmat.

Josephus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniae, Hungariae Bohemiaeque etc. Rex.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Quandoquidem ex certis fidedignis Relationibus Maiestati nostrae innotuisset, in suprafato Regno nostro Croatiae diversas confusiones ea potissimum de causa oriri, quod fidelis noster nobis dilectus Spectabilis ac Magnus Comes Joannes Palfy, antelatorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regnorum nostrorum Banus, absens esset, alter autem fidelis noster Spectabilis ac Magnus Comes Petrus Keglevich, per eundem ad interim substitutus Banus, adeoque Locumtenens Eiusdem, ad gerendum munus Banale sufficiente haud polleret Auctoritate, Eaque propter fidelitates Vestras pro reditu praefati Comitis Bani demisse supplicasse; verum quia Eundem Comitem Banum adhuc in memorato Regno nostro Hungariae et Bellicis ibidem operationibus secundum Characteris sui militaris, Equitatus videlicet Generalis obligamen, necessario et valde utiliter applicatum, inde in Croatiam avocari posse, Servitium Nostrum de praesenti nequaquam concedat. Hinc ut praetacti Regni nostri Croatiae Bano et Saluti Servitioque nostro absque neglectu & integre provisum sit, Eundem Comitem Petrum Keglevich in antelata substitutione Officij Banalis benigne confirmavimus, simulque clementer resolvimus, ut memoratus Comes Petrus Keglevich, qua praevio modo Substitutus Banus, adeoque Locumtenens interim Banalis, non solum Militares sed & Politicas Provinciales, Officium Banale dependenter concernentes Functiones, tali Auctoritate et potestate, qua suprafatus Comes Banus, Cuius interea Personam repraesentat, ipsemet in Loco gaudere soleret, usque ad reditum Saepefati Comitis Bani, in praeattacto Regno nostro Croatiae exercere possit ac valeat. Quapropter Fidelitates Vestras harum serie benigne simul ac firmiter hortandas esse duximus, quatenus intellecta hacce benigna Resolutione nostra, non modo Universas et quaslibet confusiones ac dissensiones, in praedicto Regno nostro Croatiae ob absentiam memorati Comitis Bani nefors exortas vel exposit exoriendas, antevertere & praecavere, verum etiam Suprafati Comitis Petri Keglevich, praevio modo substituti ac per Majestatem Nostram Confirmati ad interim Bani, tam in Militaribus, quam Politicis, ad officium Banale Spectantibus rebus & Negotijs per Eundem disponendis, usque ad reditum toties fati Comitis Bani omnimode parere, ac in reliquo etiam Con-